

CAPITULUM 11

DE PROPRIO

§1

Proprium vero... 12,12-14 . Istud est quartum capitulum huius primi tractatus, in quo Porphyrius determinat de proprio postquam de terminavit de differentia. Quia enim proprium competit speciei per principia ipsius speciei, quae sunt genus et differentia, conveniens est ut postquam de genere, specie et differentia determinatum est consequenter de proprio specialis determinatio fiat.

Dividitur ergo istud capitulum in duas partes, in quarum prima Porphyrius ponit multiplicem acceptionem istius nominis 'proprium'; in secunda eligit membrum de quo logicus intendit, ibi:¹ haec proprie.

Quantum ad primam partem dicit Porphyrius quod proprium dividunt Peripatetici quadrifariam, id est: in quadruplicem locutionem; quadrifariam enim idem est quod modis quattuor fari. Primo dicitur proprium illud quod convenit uni soli speciei, sed non cuilibet individuo illius speciei, ut esse medicum vel geometram. Habitus quidem medicinae vel geometriae nulli convenit nisi homini, non tamen competit cuilibet homini. Unde eorum quae sunt quaedam fiunt a natura et quaedam a voluntate, ut probatur II Physicorum;² mixta enim et elementa, plantae et animalia sunt a natura, domus vero et statua et alia artificialia sunt a voluntate. Licet igitur aptitudo ad scientiam sit a natura, quia omnes homines naturaliter scire desiderant, ut ait Philosophus in prologo Metaphysicae,³ tamen habitus sciendi est a voluntate. Propterea, etsi aptitudo ad esse medicum vel geometram inest cuilibet homini, non tamen esse medicum inest cuilibet homini; sicut etiam aptitudo ad navigandum inest cuilibet homini, non tamen ars navigandi inest cuilibet homini, quia intellectus humanus in principio est sicut tabula rasa in qua nihil est depictum, ut probat Philosophus, III De anima.⁴ Sic etiam est dicendum de simo et aquilino quod ista competunt tantum uni speciei,

videlicet naso, sed non cuilibet individuo illius speciei, quia non quilibet nasus est simus vel aquilinus. Differt autem istud proprium ab aliis nominatis quia istud est a natura, alia autem sunt a voluntate.

Lege litteram: propriam vero quadrifariam, id est: quattuor modis, Peripatetici dividunt nam et quod soli alicui speciei accidit, etsi non omni individuo illius speciei, propriam dicitur, ut homini medicum esse vel geometram.

§2

Et quod omni accidit ... 12,14-15 . Secundo dicitur proprium illud quod convenit alicui speciei et cuilibet individuo illius speciei; sed non tantum illi speciei; ut esse bipedem convenit homini et cuilibet homini, sed non tantum homini, quia etiam aves habent duos pedes. Hoc quidem proprium convenit homini ex principiis naturalibus; sed quia non convenit homini secundum quod huiusmodi, immo secundum quandam naturam communem sibi et aliis, propterea esse bipedem non tantum competit homini. Sicut etiam lucere competit soli a natura ex suis principiis, sed quia non competit soli secundum quod huiusmodi, sed secundum quandam naturam communem sibi et aliis, ideo non tantum sibi competit. Tale quidem proprium semper est communius quam sit species, sicut proprium primo modo sumptum semper est minus commune quam species cui accidit.

Lege litteram: et quod omni accidit individuo certae speciei, etsi non soli illi speciei, quemadmodum homini esse bipedem.

§3

Et quod soli... 12,16-17 . Tertio dicitur proprium illud quod competit uni soli speciei et cuilibet individuo illius speciei, sed non semper; ut canescere nulli competit nisi homini, et cuilibet homi

mini competit, nisi impedimentum praeparetur, sed non semper, quia so
lum in senectute. Sicut etiam contingit gruem in processu etatis nigre
scere et equum in sua senectute albissimos habere dentes.

Causam quidem canities assignat Albertus,⁵ dicens quod homo, cum re
spectu sui corporis cerebrum maximum atque humidissimum habeat, non
causatur canities quamdiu calor naturalis fortis extiterit et potens
ad resolvendum et dirigendum humidum. Procedente autem aetate et debi-
litato calore, non potente resolvere et dirigere humidum, necesse est
humidum ipsum putrefieri, ad cuius putrefactionem sequitur canities ca
pitis et deambatio capillorum. Et hoc secundum naturam, licet per acci-
dens impediri possit; sicut in habentibus humidum subtile et pingue,
in quibus modicus calor sufficit resolvere et dirigere. In cuius signum
habentes molles et subtiles pilos non canescunt, et si canescunt hoc
est parum et tarde. Mollities enim et subtilitas pilorum signum est hu
midu pinguis et subtilis. Si autem in brutis post nigredinem pilorum
aut in hominibus iuvenibus causetur albedo, videlicet in capillis, ta
lis dealbatio non debet vocari canities, quia non causatur ex putrefac-
tione humidi in cerebro, sed propter aliquem alium humorem putrefactum
in cute. Et ideo, sicut simitas connotat nasum et crispitudo caput, ita
canities connotat cerebrum.

Lege litteram: et quod soli speciei et omni individuo illius, sed
aliquando non autem semper etiam dicitur proprium, ut homini in senec-
tute canescere.

§4

Et quod omni et soli et semper... 12,17-20 . Quarto dicitur pro
prium illud quod convenit uni soli speciei, et cuilibet individuo il-
lius speciei et semper, ut esse risibile nulli competit nisi homini,
et cuilibet homini convenit et semper. Quilibet enim homo risibilis
est et semper est risibilis, licet non semper rideat; immo aliquis est

homo qui numquam ridet. Sic etiam hinnibile est proprium equo, et rudibile asino et mugibile bovi. Nec est aliqua species animalis cui non competat aliquod proprium, licet nomen non habeamus. Plantae etiam et inanimata suas proprietates habent, quarum causas et principia-ut plurimum-ignoramus. Dicimus enim scamoneam purgare coleram et saphirum pellere timorem a proprietate occulta proveniente a tota specie; causas tamen et principia nescimus.

Unde autem proveniat risus et risibilitas ostendit Avicenna,⁶ dicens quod homo, cui sit animal rationale et intellectivum, per principia essentialia eius, est de visis et auditis admirativus, ad cuius admirationem sequitur aliquand risus et aliquando fletus. Si enim ea quae praesentantur sensui accipiuntur cum delectatione, calor et spiritus concurrunt ad faciem, in qua sunt sensus exteriorum sensibilibum percepti; ex concursu autem caloris et spirituum ad faciem provenit faciei dilatatio et consequenter risus, nisi aliud impediat. Si autem sensibilia praesentata sensui accipiantur cum tristitia, calor et spiritus retrahuntur ad cor, ad quorum retractionem sequitur faciei et cerebri constrictio. Constrictio autem et compresso cerebro, sequitur humidi lacrimalis expressio per os, per nasum et maxime per oculos, quia a cerebro ad oculos meatus et viae habiliores sunt. Et hac de causa dicitur flere homo. Quia autem admiratio de apprehensis per sensum nulli convenit nisi homini, ideo solus homo ridet et plorat. Ex principiis igitur naturae humanae provenit aptitudo ad admirandum, ad quam sequitur aptitudo ad ridendum et flendum; ex admiratione autem sequitur risus et fletus. Sicut ergo non semper admiratur homo, ita non semper ridet vel plorat; et quia semper admirativus est, propterea semper est risibilis et flebilis. Et hoc a natura, non autem per artem neque per voluntatem; sicut hinnibile naturaliter competit equo, non autem voluntarie neque artificialiter.

Lege litteram: et quod omni et soli et semper competit iterum est

proprium, quemadmodum homini esse risibile. Nam etsi semper non rideat, tamen risibile dicitur, non quod semper rideat, sed quod aptus natus ad ridendum. Hoc enim semper est homini naturale, et equo hinnibile.

§5

De divisione proprii

Notandum primo quod divisio proprii hic assignata non est divisio pure univoci nec pure aequivoci, sed est divisio cuiusdam analogi medii, importantis plura secundum attributionem ad unum. Ita quod hoc nomen 'proprium' significat omnia propria in quattuor modis explicata per comparisonem et attributionem ad proprium sumptum quarto modo. Ex eo enim alia dicuntur propria quia participant proprium hoc modo sumptum secundum aliquam condicionem eius. Prima namque condicio huiusmodi ultimi proprii est inesse soli; haec condicio competit proprio sumpto primo modo, quoniam esse medicum competit tantum homini, licet non competat cuilibet homini. Secunda condicio est inesse omni; haec condicio competit proprio accepto secundo modo, quoniam esse bipedem competit cuilibet homini, licet non competat tantum homini. Istaes duae conditiones simul competunt proprio sumpto tertio modo, quoniam canescere competit solum homini et cuilibet homini, sed non semper, quia solum in senectute. Proprium ergo ultimo modo sumptum differt ab omnibus aliis per inesse semper aut soli aut omni, ut patet. Dicitur enim, I Posteriorum,⁷ quod quaelibet scientia considerat proprietates et passiones sui, intendens per 'proprietates' proprium sumptum aliquo trium praecedentium modorum, per 'passionem' vero, quae dicitur converti cum subiecto, proprium sumptum ultimo modo.

Ex quibus sequitur quod isti modi possunt invicem coincidere, aut secundum actum et aptitudinem, aut secundum subiectum. Verbi gratia, etsi risibile est proprium quarto modo, tamen ridere est proprium primo modo, quia ridere, etsi competit solum homini, non tamen competit

cuilibet homini. E contra autem etsi medicum esse est proprium primi modi, tamen medicativum est proprium quarti modi, quia competit tantum homini, et cuilibet homini et semper.

Item, ex parte subiecti isti modi possunt coincidere, quoniam proprium aut est aequale subiecto aut inaequale. Si aequale illud est proprium quarti modi; si autem inaequale, aut excedit subiectum aut exceditur a subiecto. Si excedit subiectum est proprium secundi modi; si autem exceditur a subiecto est proprium primi modi. Verbi gratia, risibile potest comparari ad hominem dicendo 'homo est risibilis', et ad Sortem dicendo 'Sortes est risibilis', et ad animal dicendo 'animal est risibile'. Si risibile comparatur ad hominem, quia homo et risibile invicem convertuntur, sic est proprium quarto modo; si comparatum ad Sortem, quia risibile in plus se habet quam Sortes, pertinet ad proprium secundi modi; si vero comparatur ad animal, quia animal in plus se habet quam risibile, pertinet ad proprium primi modi. Consimiliter dicatur in mathematicis quod habere tres angulos aequales duobus rectis respectu trianguli est proprium quarti modi, respectu isoscelis est proprium secundi modi, respectu autem figurae est proprium primi modi.

§6

De divisione proprii

Secundo notandum quod Philosophus, I Topicorum,⁸ dividit proprium non quidem quadrupliciter, sed tripliciter solum, dicens quod est proprium simpliciter, proprium quando et proprium ad aliquid. Haec distinctio sic deducitur: omne proprium aut fluit a principiis speciei aut a principiis individui. Si fluit a principiis speciei, sic est proprium simpliciter, quia convertitur cum sua specie, ut risibile. Si fluit a principiis individui, aut ergo absolute aut respective. Si absolute, sic est proprium quando, ut canescere; si respective sic est proprium ad aliquid, ut esse bipedem et esse medicum. Bipes enim dicitur relati-

ve ad quadrupes, et medicus dicitur relative ad infirmum. Ita quod primus et secundus modus concurrunt in unum.

Boethius autem in Commento⁹ vult quod omne proprium fluat a principiis speciei. Non enim fluit a genere et differentia secundum quod huiusmodi, quia tunc non competeret solum speciei, contra Porphyrium, sed fluit a genere et differentia secundum quod sunt principia speciei. Et hoc contingit dupliciter, aut secundum formam aut secundum materiam. Si proprium fluit a principiis speciei secundum formam, sic est proprium simpliciter sumptum quarto modo; si autem secundum materiam, aut ergo fluit aequaliter vel inaequaliter. Si aequaliter, sic est proprium quando, sumptum tertio modo. Si inaequaliter, aut ergo proprium est in plus quam species, et sic est proprium ad aliquid acceptum secundo modo, aut in minus, et sic est proprium iterum ad aliquid, sed primi modi.

Ista distinctio est multum conveniens, quoniam species potest dupliciter considerari, aut in se absolute aut secundum comparationem ad materiam in qua est. Si consideratur in se absolute, sic a suis principiis fluunt propria secundum formam, illa scilicet quae insunt uni soli speciei, et omni et semper, ut admirativum, risibile et disciplinabile per intellectum. Notanter dicitur "per intellectum", quia aliqua sunt animalia disciplinabilia simpliciter, illa videlicet quae habent intellectum et auditum, ut homines; aliqua nullo modo sunt disciplinabilis, ut ea quae non habent intellectum neque auditum; aliqua vero sunt secundum quid disciplinabilia, illa scilicet quae habent auditum sine intellectu. Dicit enim Philosophus in prooemio Metaphysicae¹⁰ quod omnia animalia habentia auditum sunt disciplinabilia. Si autem consideratur species per comparationem ad materiam in qua est, sic diversae passiones fluunt. Homo enim est latarum unguium, et animal rapax, scilicet leo, et ursus et similes, est unguium acutarum et rotundarum ex diversitate materiae. Homo etiam habet carnem mollem et

equus aut asinus duram, et ex hoc homo est prudentissimum animalium, ut probat Philosophus, II De anima.¹¹ Omnia enim animalia habentia memoriam sunt disciplinabilia -inquit Philosophus in prooemio Meta-physicae.¹²

Et si arguitur sic 'quodlibet proprium fluit a principiis speciei, ergo nullum fluit a principiis individui', negatur consequentia. Cum enim, iuxta communem modum dicendi, detur haec distinctio, propriorum quaedam fluunt a principiis speciei et quaedam a principiis individui, intelligitur quod quaedam propria fluunt a principiis speciei secundum formam et quaedam a principiis speciei secundum materiam, quoniam individuum habet rationem materiae, ut vult Philosophus, I Caeli¹³ et IX Metaphysicae.¹⁴ Illa ergo distinctiones coincidunt in re, licet differant in voce.

§7

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod esse bipedem et canescere non competunt omni homini, quoniam aliquis est homo qui non habet duos pedes, aut a natura in generatione, ex defectu materiae, aut a voluntate per violentiam in incisione, aut a casu per fractionem; aliquis etiam numquam erit canus, aut quia morietur iuuenis, aut si morietur senex humidum pingue et subtile habebit.

Secundo arguitur quod proprium non emanat a principiis speciei, quia principia speciei sunt substantiae; sed ex substantiis non fit non substantia, sicut ex non substantiis non fit substantia, ut habetur I Physicorum;¹⁵ igitur proprium est substantia. Consequens falsum, quia non est substantia prima nec substantia secunda, cum non sit individuum, neque species, neque genus, neque differentia praedicamenti substantiae.

Item, idem in quantum idem semper facit idem, per Aristotelem, II De generatione;¹⁶ si ergo proprium emanat a principiis speciei, sequitur quod unius speciei

quod unius speciei non est nisi unum proprium. Quod est contra determinata, quia proprium hominis non solum est risibile, sed etiam plorabile, et disciplinabile, et admirativum.

Tertio arguitur quod proprium quarto modo non semper competit, quia Philosophus, VII Metaphysicae,¹⁷ ait quod substantia est prior omni suo accidente tempore; constat autem quod subiectum proprii est substantia, et ipsum proprium est accidens, cum non sit substantia; ergo aliquando est homo quando ipse non est risibilis. Et IX Metaphysicae¹⁸ dicit Aristoteles quod omnis potentia passiva est contradictionis; sed species est potentia passiva proprii, quia est subiectum eius, videlicet homo est subiectum risibilitatis; ergo aliquando homo est risibilis et aliquando non est risibilis.

Quarto arguitur quod proprium sumptum quarto modo non semper dicit aptitudinem, quia par vel impar est proprium numeri, et rectum vel curvum est proprium lineae, scilicet quarto modo, ut colligitur a Philosopho, I Posteriorum,¹⁹ et tamen talia propria non dicunt aptitudinem, sed actum; nam eo ipso quod aliquis est numerus, ille est actu par vel impar, et si aliqua est linea, illa actu est recta vel curva, et non aptitudine.

Ad primum dicitur quod esse bipedem et canescere dicunt aptitudinem et non actum; sicut caecus est aptus natus videre, ita privatus pedibus est aptus natus habere duos pedes, et moriens in iuventute est aptus natus canescere.

Et si instatur quoniam tunc canescere est proprium quarto modo, quia convenit tantum homini et cuilibet homini et semper, eo quod cuilibet homo semper est aptus natus ad canitiem sicut ad risum, quia cuilibet homini a natura convenit aptitudo ad canitiem sicut ad risum, dicitur quod ly 'semper' potest esse determinatio subiecti vel passionis. Si est determinatio subiecti, conceditur quod illi competit semper; si autem est determinatio passionis, sic illi non competit semper. Homo

enim semper est aptus natus canescere, sed non est aptus natus canescere semper sed solum in senectute; homo autem est aptus natus ridere semper et flere semper et admirari semper. Intendit ergo Porphyrius proprium competere speciei semper, determinando passionem et non subiectum tantum.

Ad secundum dicitur quod ex substantiis non fit non substantia in genere causae materialis vel formalis, sed ex substantiis fit non substantia in genere causae efficientis. Genus et differentia sunt principia speciei in genere causae materialis et formalis, sunt autem principia proprii in genere causae efficientis.

Cum autem arguitur quod unius speciei est tantum unum proprium, negatur consequentia. Et concedo quod idem in quantum idem semper facit idem, modo principia speciei faciunt immediate primam passionem, et mediante prima faciunt secundam, et mediante secunda faciunt tertia. Ideo principia speciei non semper eodem modo se habent in faciendis passionibus.

Ad tertium dicitur quod Aristoteles,²⁰ dicens substantia esse priorem suo accidente tempore non intendit quod aliquando sit substantia sine accidente, sed intendit quod non repugnat substantiae esse per tempus sine suo accidente, et ita exponit Commentator²¹ in loco allegato. Licet ergo non repugnet homini esse absque risibilitate, non tamen est possibile hominem esse sine risibilitate, sicut materiae non repugnat esse absque quantitate; non tamen potest materia esse sine quantitate. Cum vero additur quod omnis potentia passiva est contradictionis, verum est, si illi fuerit coniuncta potentia respectiva; constat autem quod species est potentia passiva propria, subiectiva tantum et non respectiva; ideo perpetuatur proprium in specie sicut perpetuatur forma caeli in materia et lux solis in diaphano, ubi subiectum est potentia passiva absque potentia respectiva.

Ad quartum respondetur quod proprium sumptum quarto modo aliquando dicit solum aptitudinem, ut risibile

dicit solum aptitudinem, ut risibile et hinnibile, aliquando dicit solum actum, ut longum in linea et latum in superficie -si enim aliqua linea est, ipsa est actu longa, et si est aliqua superficies, ipsa est actu lata, quandoque dicit actum et aptitudinem, ut habere tres angulos aequales duobus rectis respectu trianguli -si enim aliquis triangulus est, oportet quod actu habeat tres angulos, sed non oportet quod sint duo recti; sufficit autem quod sit aptitudo ad duos rectos. Interdum vero dicit actionem vel passionem actualem, ut moveri vel quiescere respectu corporis in communi; ita quod illud totum disiunctum dicitur proprium quarto modo et nulla eius pars. Sed tam mobile quam quiescibile est proprium corporis illo modo, sed non dicit actum; dicit autem aptitudinem, sicut risibile.

§8

Haec proprie nominantur... 12,20-22 . Ista est secunda pars huius capituli, in qua Porphyrius eligit illud membrum dictae distinctionis quod est de consideratione logici, intendens istam conclusionem: solum proprium acceptum ultimo modo est de consideratione logici.

Probatur: solum illud proprium est de consideratione logici quod est proprie proprium; sed solum proprium ultimo acceptum est proprie proprium; ergo etc. Maior patet, quia sicut solum illud genus est de consideratione logici quod est proprie genus, et solum illa species est de consideratione logici quae est proprie species, et solum illa differentia est de consideratione logici quae est proprie differentia, ut ex praecedentibus patet, ita solum illud proprium est de consideratione logici quod est proprie proprium. Minor etiam declaratur, quia illud est proprie proprium quod convertitur cum specie cuius est proprium; constat autem quod solum proprium acceptum ultimo modo convertitur cum specie cuius est proprium. Nam homo et risibile convertuntur, similiter equus et hinnibile convertuntur; quia quicquid est homo est

risibile et e contra, et quicquid est equus est hinnibile, et e conver
 so quicquid est hinnibile est equus. Non sic autem convertuntur alia
 propria cum suis subiectis, quia licet omne quod est medicum sit homo,
 non tamen omne quod est homo est medicum; et licet omnis homo sit bipes,
 non tamen ~~omne~~ quod est bipes est homo; et licet omne canescens sit
 homo, non tamen omnis homo canescit. Neque obstat quod canescere dicit
 aptitudinem, quia illud quod est proprie proprium requirit convertibi
 litatem suae speciei tam ex parte temporis quam ex parte subiecti, quo
 niam etsi omnis homo est aptus natus canescere, non tamen si aliquis
 est homo in aliquo tempore, ille est aptus natus canescere in illo tem
 pore.

Lege litteram: haec proprie nominantur propria, quoniam etiam conver-
tuntur. Quicquid enim equus est, hinnibile est et quicquid hinnibile
equus.

§9

De distinctione et definitione proprii

Notandum quod Philosophus, I Topicorum,²² definiens proprium dicit
 "proprium est quod non indicat quid est esse, soli autem inest et con
 versim praedicatur de re", et exemplificans dicit "ut proprium est ho
 minis grammaticae esse susceptibile"; nam si homo est, grammaticae su
 susceptibile est, et si est grammaticae susceptibile est homo. Et subdit
 "nemo enim dicit proprium quod contingit alii inesse, ut dormire homi
 ni, etsi forte per aliquod tempus soli inest"; si autem forte dicatur
 aliquod talium proprium, non simpliciter, sed quando vel ad aliquid
 dicetur.

Ubi patet quod distinctio Philosophi de proprio est haec: proprium
 aliud simpliciter, aliud secundum quid. Proprium simpliciter est illud
 quod convertitur accidentaliter cum specie; proprium secundum quid est
 illud quod non convertitur cum specie. Et hoc, aliquando est proprium

quando, ut canescere; et interdum est proprium ad aliquid, ut esse me
dicum et esse bipedem.

Istam distinctionem intendit Porphyrius,²³ dicens quod quaedam sunt propria proprie et quaedam sunt propria non proprie. Propria proprie sunt illa quae convertuntur cum subiectis suis, ut risibile et hinnibile; propria non proprie sunt illa quae non convertuntur cum subiectis suis, ut alia nominata.

Et sic ut Porphyrius coincidit cum Philosopho in distinguendo proprium, ita etiam in definiendo, cum dicit "proprium est illud quod ac
cidit soli, et omni et semper". Per hoc quod dicit "accidit" intendit
quod proprium non indicat quidditatem neque essentiam rei, sed praedi
catur accidentaliter; cum subiungit "soli", intendit quod nihil est
proprie proprium nisi per comparisonem ad speciem. Ita quod unum,
quod est propria passio entis, secundum Philosophum, IV Metaphysicae,²⁴
et aequale vel inaequale, quod est proprium quantitatis, aut simile
vel dissimile, quod est proprium qualitatis, secundum Philosophum in
Praedicamentis,²⁵ non est proprie proprium, sed est proprium ad ali
quid. Cum vero ait "omni et semper" intendit proprium converti univer
saliter cum sua specie, tam ex parte subiecti quam ex parte temporis.
Unde possibile est quod omnis homo dormiat et quod omne dormiens sit
homo; non tamen propter hoc dormire est proprium proprie hominis, quia
ultra oportet quod nihil sit homo in aliquo tempore qui eodem tempore
illud dormiat, et e contra. Propterea exemplificat Philosophus condi
tionaliter, dicens²⁶ "si homo est, grammaticae susceptibile est" et
e contra.

Definitio ergo quam intendit tam Philosophus quam Porphyrius est
ista: proprium est universale quod est praedicabile accidentaliter
convertibiliter de sola specie. Dicitur "accidentaliter" ad excluden
dum genus, speciem et differentiam, quia haec essentialiter praedican
tur; dicitur autem 'convertibiliter' ad excludendum accidens, quoniam

accidens, etsi accidentaliter praedicatur, non tamen convertibiliter dicitur de sola specie. Quia sicut genus dicit respectum ad speciem, et species ad genus, et differentia tam ad genus quam ad speciem, ita proprium dicit respectum ad speciem; non quidem ad speciem specialissimam, nec ad speciem subalternam, quia non est verum dicere quod tantum de specie specialissima praedicatur proprium aut solum de specie subalterna, sed dicit respectum ad speciem in communi. Ita quod si de genere praedicatum proprium, <hoc est> non in quantum est genus, sed in quantum est species.

§10

Utrum accidens commune sit proprium alicui
subiecto proprietate quarti modi

Secundo notandum quod est una opinio quorundam, dicentium quod omne accidens commune est proprium alicui subiecto proprietate quarti modi. Dicunt enim quod albedo licet sit accidens commune homini et equo, tamen habet aliquod subiectum proprium cui inest, et omni contento sub eo et semper. Nam aliqua est mixtio elementorum ex qua semper resultat albedo; ideo substantia mixta tali mixtione est subiectum proprium albedinis. Et idem est iudicium de omni alio accidente. Et haec videtur esse intentio Commentatoris, dicentis, V Metaphysicae,²⁷ quod esse accidens est proprium alicui.

Contra hanc opinionem arguitur. Quia data illa sequitur quod non sunt nisi quattuor praedicabilia, eo quod accidens non distinguitur a proprio, ex quo omne accidens est proprium proprietate ultimi modi.

Item, etsi colores, odores et sapes requirunt aliquam certam mixtionem elementorum, tamen qualitates primae non requirunt aliquam talem mixtionem; ideo nulli qualitati primae potest assignari aliquod determinatum subiectum adaequatum illi, sicut neque causa effectiva. Caliditas enim non tantum fit ab igne, sed etiam a sole et a mixtis

multis virtualiter calidis.

Item, proprium simpliciter habet causas invariables, ex quo provenit a principiis speciei; albedo autem et alia accidentia communia habent causas variabiles; mixtio enim elementorum continue variatur. Ut arguatur sic: necesse est proprium simpliciter sumptum variari, si variantur causae illius; sed non est necesse albedinem variari variata mixtura elementorum; sicut non est necesse sanitatem variari ad permutationem humorum quin maneat eadem sanitas numero a mane usque sero, per Philosophum, V Physicorum.²⁸

Praeterea sequitur quod ad cuiuscumque accidentis destructionem necesse est substantiam destrui, contra Philosophum, II De anima²⁹ et II De generatione.³⁰ Et quod illud sequatur, arguitur ponendo quod .a. sit aliquod accidens et .b. subiectum eius. Quaero igitur utrum .b. sit substantia vel accidens. Si est substantia, igitur destruitur ad destructionem .a.; si est accidens, igitur habet aliquod subiectum. Sit illud .c., et quaero utrum .c. sit substantia vel accidens. Si substantia, igitur destruitur ad destructionem .b.; et .b. destruitur ad destructionem .a.; igitur .c. destruitur ad destructionem .a.. Si dicitur quod .c. est accidens, igitur habet aliquod subiectum; quo concesso aut est procedere in infinitum in subiectis -quod est dandum-, aut devenietur ad substantiam quae necessario corrumpetur ad corruptionem cuiuscumque accidentis in ea.

Dicendum igitur quod duplex est proprium, videlicet per se et per accidens. Proprium per se est illud quod convertitur cum suo subiecto; proprium per accidens est illud quod non convertitur cum suo subiecto, cuiusmodi est proprium sumptum aliquo trium primorum modorum praecedentium. Si ergo accidens commune habet subiectum proprium, illud est eo modo quo medicum esse est in homine, aut esse bipedem est in animali, aut canities in capite; constat autem quodlibet istorum esse proprium per accidens; igitur accidens commune non est proprium alicui nisi per

accidens. Et ita intendit Commentator^{t 31} cum dicit "omne accidens est proprium alicui", scilicet per se vel per accidens. Albedo autem est proprium corpori primo modo, quia nulli competit nisi corpori, sed non omni corpori competit. Et ex hoc sequitur quod non fluit a principiis corporis secundum formam; ideo non est proprium corpori nisi per accidens.

sic

Et si arguitur^Λ 'haec propositio est per se in secundo modo "corpus est album", quia subiectum ponitur in definitione praedicati; ergo albedo est per se proprium corporis', negatur consequentia. Nihil enim est per se proprium alicuius nisi convertatur cum illo.

§11

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod proprium non est universale, quia universale est unum in multis et de multis, I Posteriorum;³² sed proprium convenit uni soli, secundum Porphyrium;³³ igitur etc. Unde arguitur sic: omne universale habet per se individua, secundum Philosophum in auctoritate praemissa; sed proprium non habet individua per se, sed solum per accidens, ratione speciei; ergo proprium non est universale, et si est universale est solum universale per accidens -quod non est dicendum.

Secundo arguitur quod proprium non est praedicabile, quia nullum singulare est praedicabile; sed proprium est singulare; ergo etc. Tenet consequentia cum maiori, et minor declaratur; sicut se habet universale ad singulare, ita commune ad proprium, quia ita opponuntur relative commune et proprium sicut universale et singulare; ergo a commutata proportione sicut se habet universale ad commune ita singulare ad proprium; sed aliquod commune est universale; igitur aliquod proprium est singulare.

Tertio arguitur quod proprium non praedicatur de specie, quia si

praedicatur, igitur per se vel per accidens. Non per accidens, quia species ponitur in definitione proprii, ut habetur I Posteriorum.³⁴ Si autem praedicatur per se, aut igitur in primo vel in secundo modo. Si in primo modo, igitur species est de essentia proprii; sed species est substantia; ergo proprium est substantia. Consequens falsum, quia non substantia prima nec secunda. Si in secundo modo, igitur species clauditur in definitione essentiali ipsius proprii, et per consequens est de essentia illius.

Quarto arguitur quod non praedicatur de sola specie, quia tunc non praedicaretur de individuo. Et si dicitur quod licet non praedicetur de sola specie, tamen praedicatur de sola specie convertibiliter, contra; igitur destructo proprio destrueretur species. Consequens falsum, quia non oportet destrui prius si destruitur suum posterius; constat autem quod species est prior proprio, sicut generaliter subiectum est prius passione.

Ad primum dicitur quod proprium competit uni soli per comparisonem ad speciem et competit multis per comparisonem ad individua; sicut idem est proprium et commune, non tamen respectu eiusdem. Est enim proprium respectu speciei et commune respectu individuorum. Non tamen dicit Porphyrius quod proprium competat uni soli, sed quod competat omni, et soli et semper; ita quod licet aliquod proprium competat uni soli speciei, sicut risibile et hinnibile, tamen aliquod est proprium quod competit multis specierum, videlicet proprium generis. Sensitivum enim, etsi ponitur loco differentiae, tamen est proprium animalis per se et simpliciter; ratione cuius competit multis speciebus, videlicet homini et equo.

Item, conceditur quod sicut genus, species et differentia habent propria individua, ita etiam proprium; quoniam hoc animal est individuum animalis, et hoc rationale est individuum rationalis, et hic homo est individuum hominis, et hoc risibile est individuum risibilis. Haec tamen individua non differunt secundum rem, quia unum et idem numero

mero singulare est hoc animal, et hoc rationale, et hic homo, et hoc risibile; sed differunt formaliter, quia alia est ratio huius in quantum animal, et alia in quantum homo, et alia in quantum rationale, et alia in quantum risibile. Consequenter negatur quod proprium non habet per se individua, quia sicut hic homo per se est homo, ita hoc risibile per se est risibile.

Et cum arguitur 'proprium non habet individua nisi ratione speciei, igitur non habet individua per se', negatur consequentia; sed solum sequitur quod non habet individua per se primo. Unde haec est differentia inter individua generis et differentiae et proprii, quia genus praedicatur de individuo suo et differentia de suo non ratione individui speciei, proprium vero praedicatur de individuo suo ratione individui speciei. Verbi gratia, hoc animal non est animal quia hic homo, nec hoc rationale est rationale quia hic homo; sed hoc risibile est risibile quia est hic homo. Genus enim et differentia sunt principia speciei, ipsa vero species est principium proprii.

Ad secundum negatur consequentia. Unde non sequitur 'sicut se habet homo ad equum, ita risibile ad rudibile, quia sicut homo et equus sunt disparata in praedicamento substantiae, ita risibile et rudibile sunt disparata in praedicamento qualitatis; ergo a commutata proportione sicut se habet homo ad risibile, ita equus ad rudibile', quoniam tunc equus esset rudibilis sicut homo est risibilis -quod est impossibile. Illa enim regula de commutata proportione intelligitur in numeris et proportionibus, quia bene sequitur 'qualis est proportio .a. ad .b., talis est proportio .c. ad .d.; igitur a commutata proportione, qualis est proportio .a. ad .c., talis est proportio .b. ad .d.. Verbi gratia, qualis est proportio octo ad quattuor, talis est proportio duorum ad unum; ergo, a commutata proportione, qualis est proportio octo ad duo, talis est proportio quattuor ad unum -quaelibet istarum est proportio quadrupla.

Ad tertium respondetur quod proprium praedicatur de specie in secundo modo dicendi per se, et quod praedicatum definitur per subiectum. Sic quod species est de ratione essentiali proprii. Ex quo non sequitur quod species sit de essentia proprii; materia enim non est de essentia formae, neque subiectum est de essentia accidentis, et tamen est de ratione essentiali ipsius, in quantum est pars definitionis essentialis eius. Nasus enim non est de essentia similitatis, et tamen est de ratione essentiali similitatis. Unde conceditur quod species est essentialis proprio in quantum species est causa immediata et per se essentiae proprii; numquam tamen sequitur quod species sit de essentia proprii, ita quod sit pars essentialis eius, sicut genus et differentia sunt partes essentialis speciei.

Ad quartum respondetur quod non est concessum proprium praedicari de sola specie, sed quod praedicatur de sola specie convertibiliter; cum quo stat quod praedicetur de omnibus suis individuis non convertibiliter. Et concedo quod destructo proprio destrueretur species, non obstante quod species sit prior proprio. Prius est enim linea quam longitudo, et tamen destrueretur linea destructa longitudine. Sic etiam destrueretur homo destructo risibili; non enim omne prius potest esse sine suo posteriori, sed sufficit quod possit intelligi sine illo. Quare etc.